

sarii fungatur, a Magistro ipso nominandus, et per maiorem partem Magistri ipsius et Sociorum eligendus; nisi contigerit ut major pars Sociorum Collegii Magistrum ipsum in locum Bursarii constitendum postulet. Liceat etiam majori parti Magistri ipsius et Sociorum stipendum Bursario assignare prout iis videatur. Qui quidem Bursarius, singulis annis ad duo tempora, semel intra mensem a festo Paschæ, atque iterum etiam intra mensem a festo Divi Michaelis Archangeli, in praesentia Magistri aut ejus Locum-tenantis, Sociis etiam omnibus antea per hebdomadam admonitis et tunc praesentibus, aut saltem majori parte eorundem, computum reddat veracem et fidelem de eunctis ad officium et administrationem suam spectantibus, quid expenderit, quid receperit, et quid supersit recipiendum, quid Collegium debeat, et quid vicissim debeatur eidem. Balivos et Firmarios eodem tempore suos computos facere cogat; thesaurum universum, jocalia omnia, ac cætera munimenta ostendat Sociis illis omnibus, rursumque reponat, eis presentibus, intra Thesaurarium in scriniis ad hoc deputatis; fieri quoque volumus per eundem singulis quibusque temporibus dictorum computorum indenturas duas statum ejusdem Collegii manifeste continentem, quarum alteram in communis cista reponi jubemus, alteram in Magistri ipsius custodia retineri. Et si forte Bursarius computum statutis temporibus non reddiderit, aut Magistro et Sociis in reddendo computo non satisfecerit, tum rem ad Procancellarium Universitatis seu vices ejus gerentem referri volumus, qui duobus ad se accitis in Sacra Theologia Doctoribus, aut ob eorum absentiam Baccalaureis in eadem senioribus, partem aberrantem juxta suam discretionem reformet. Licebit autem majori parti Magistri ipsius et Sociorum omnium, quandocunque illis videatur. Socium in Bursarium electum ab officio amovere, et Socium alium in ejus locum constituere.

Elegantur etiam duo ex Sociis in biennium ad minimum, qui vice Auditorum fungantur, quibus officium erit, ante computum praedicto modo reddendum, expensa et accepta relata inspicere; et si justa videantur, nomina sua in schedulis ita inspectis subscribere; quibus Magister et Socii summam pecunias huic labori parem et aequaliter assignent.

CAP. V.

De tuta Rerum Custodia.

Et quo tutius ac securius res ipsius Collegii custodiri queant, volumus et statuimus ut in Thesaurario cista quedam ampla sit, quæ communis cista appellabitur, una cum cistula quedam exigua ad Sigilli communis custodiam deputata, cuius cistulæ clavem Magister ipse geret. Sintque alias cistæ in eodem Thesaurario aut in alio loco idoneo pro conservandis jocalibus cæterisque rebus quæ ad necessarios usus spectabunt; ea vero quæ in quotidiano usu sunt, Magister ipse curet loco aliquo tuto custodiri. Sint etiam in eodem Thesaurario scrinia quedam in quibus chartas, literas patentes, confirmationes, evidentias, indenturas, obligationes, et cætera munimenta ad ipsum Collegium spectantia, inventarium quoque rerum omnium, atque hæc et originalia Statuta recondi volumus. Volumus igitur et statuimus quod istarum rerum (quas supra enumeravimus) nihil cuiquam mutuetur. Et si quando ad usum Collegii necessarium efferenda sint, prius inde schedula conficiatur manu ipsius recipientis, quæ intra cistam communem remanere debet, donec eadem ipse res rursum integre restituantur: quod proximo die fieri volumus post finitum earum necessarium usum. Singulis etiam noctibus

januas omnes et ostia Collegii Magister seu locum ipsius tenens obserari curabit.

CAP. VI.

De Magistri Vicario.

Cum autem Magistro permiserimus aliquandoiu a praedicto Collegio abesse, æquum est ut de administratore aliquo in ipsis absentia provideatur: Volumus igitur et statuimus ut sive absente Magistro, seu Magistratu ipsius vacante, Sociorum aliquis semper administret: in absentia quidem ille quem Magister assignare voluerit, in vacatione vero Socius ipse qui juxta admissionem senior fuerit. Vicariam autoritatem uterque obtineat tempore suo, et tam in Sociis congregandis quam in consiliis tractandis ob utilitatem et honorem ipsius Collegii præsideat, et primus sit, eique tanquam Magistro pareatur: Proviso tamen quod neuter eorum literas ulla communi Sigillo designatas cuiquam tradet præter eas quæ ad Magistri electi presentationem attinent, nec, Magistratu vacante, fiat electio vel Sociorum vel Discipulorum.

CAP. VII.

De Qualitate novi Magistri eligendi.

Nemo in Magistrum sive Custodem Collegii elegatur, nisi quem Socii probabiliter speraverint fide, industria, et studio diligenti rem domesticam Collegii administraturum; hæc Statuta observaturum; bona, terras, possessiones, libertates, privilegia, et jus unumquodque Collegii pro suis viribus tutaturum; quique sit ætatis ad minimum triginta annorum, in Sacris Ordinibus constitutus, et saltem in Artibus Magister ex Universitate Cantabrigiæ; ac talis denique sit, qui dignus videatur gubernare et regere Collegium, in quo foveret Dei Cultus, morum probitas, bonarum literarum et scientiæ studium, et iisdem imbuitor juventus.

Teneatur autem Magister ita electus ad gradum Professoris Sacre Theologie, statim post admissionem suam, aut quamprimum ei per Statuta Academiæ licuerit, progredi.

CAP. VIII.

De Modo et Forma eligendi Magistrum.

Porro ne hoc corpus principalis suo membro aliquando careat diutius quam par est, electionem Magistri fieri ad formam sequentem ordinamus. Primum senior Socius juxta admissionem inter eos qui tum domi præsentes erunt illis una convocatis, rem aperiat, et vacationem officii Magistri (quamprimum illud cognoverit) absque omni mora notam faciat, atque de die et hora electionis futuræ palam ac diligenter admoneat. Quod si qui Sociorum absentes fuerint, illorum adventus per quatuordecim tantum dies immediate sequentes expectabitur. Atque ut illis absentibus hæc Magistri vacatio facilius innotescat, schedula de hie et hora futuræ electionis per eundem seniorem Socium ostio Sacelli per hos quatuordecim dies continuo agitur, et per eundem quod possit absentes de futura electione admoneri volumus.

Die igitur quindecimo post agnitam vacationem mane hora octava ejusdem diei Socii congregabuntur in Sacello praedicto, ubi primum preces ordinariæ offerentur Deo. His autem finitis, praedictus Senior (cæteris omnibus præter Socios prius exclusis) palam leget Statuta nostra "De qualitate Magistri eligendi," quibus lectis Socius praedictus associet sibi duos alios Socios maxime seniores præsentium juxta admissionem, qui acceptis singulorum suffragiis omnia fideliter tractabunt quæ ad perficiendam electionem pertinent,